

D.Chrysof. Sederet pariter cum eo. Notat D. Chrysofomus utbanitatem Eunuchi; licet enim videret Philippum in habitu humili, tamen ex dignitate oris, gravitate aspectus, morum compositione eum valde magnum virum judicavit. Deinde dicam, cum Eunuchus elegerit Philippum, ut Magistrum ad explicandam Scripturam, inde eum maxime in multa veneratione habuit.

144. Syriac. Verf. 32. Locus autem Scripturae; Syriacus: Locus ad literam intelligitur de Christo Domino, ubi maxime ejus patientia commendatur, ut ait D. Petrus epistol. 1. cap. 2. num. 23. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur; tradebat autem iudicanti se injuste. Et de hoc late infra q. 18. agendum est.

145. Syriac. Verf. 33. In humilitate sublatum est iudicium ejus. Syriacus: De clastro, & iudicio sublatum, de sua nempe humilitate, qua ut reus iudicari voluit, sublatum est iudicium ejus, quo iudicatus est ad mortem Crucis. vel ut alii exponunt, quo iudicatus est ab Aeterno Patre, ut victor ascenderet, qui tantus, & tantus est, ut ejus generatio, sive divina, sive humana sit inenarrabilis de quo infra q. 19.

146. Arabic. Respondens Eunuchus; Rogo te. Arabic. Respondit minister: & ait, &c. Rogo, ut mihi indices, de quo Propheta hunc dicit sermonem: ex his liquet, quod Eunuchus incidit in hunc locum Isaia, non ex industria, ac studio, sed casu, tamen multa, quae nobis fortuito videntur ex alta Dei Providentia sunt ordinata, ut in praesenti notat D. Chrysof., quod ex praesentibus patet, quod Eunuchus nesciebat, an Prophetam loquerentur de suis propriis personis, an de aliis.

147. Verf. 35. Aperiens Philippus os suum, Pleonasmus est Sacrae Scripturae ad significandum principium dicendi, largo sermone in re gravi, multa praemeditatione, clara, & aperta voce Ezechiel. 29. num. 21. & 2. Corinth. 6. nu. 11. Math. 5. num. 1. Et apte convenit cum Philippo: Aperiens os suum; nam Philippus Hebraice, idem est, ac os lampadis, ut notavit Beda, & ante eum Arator: Imponere Philippo os lampadis. Evangelizavit illi Iesum. Et est Catechismus praecedens Baptismum adultorum, eosque praestrat ante illius susceptionem; Baptismus enim dicitur Sacramentum illuminationis, faciens nos filios lucis, ac lucem in Domino arma lucis Roman. 13. numer. 12.

148. Beda, Arator. 148. Baptism. Rom. 13.

QUAESTIO XVII.

Quare Eunuchus cum esset valde magnus tam aride postulat a Philippo illustrari, ac doceri?

149. D.Chrysof. Ibat Eunuchus, ut valde potens in magno curru, multo famulorum apparatu; e contra vero Philippus solus, humili vestitu, pedibusque incedens, ab ipso tamen postulat Eunuchus illuminari, ac doceri, ut eleganter expendit Divus Chrysofom. homil. 35. in Genes. & ait: Non egre tulit Eunuchus, nec indignatus est, neque se contumelia affici existimavit, quod plerisque insulis accidit, quos pudet ignorantiam suam confiteri, & ab eis discere, qui docere valeant, & frequenter malum in perpetua versari ignorantia; non sic vero iste Eunuchus: Curru vectus eum, qui vilis videbatur, & ex vestitu facile contemptibilis rogavit, &c. Tam vehementi studio discendi aestuabat, Hoc exemplum proponit Divus Hieronymus epistol. 103. exhortans sapientes, & ait: Nec sanctior sum hoc Eunuchus, nec studiosior, &c. Ignorabat eum, quem in libro

nesciens venerabatur. Venit Philippus ostendit ei Iesum; qui clausus latebat in litera; & ut intelligas te in Scripturis Sanctis sine praevio, & monstrante semitam non posse ingredi.

150. Quis potentior, ac sapientior Salomone, & tamen Deo dicebat 3. Reg. 3. num. 9. Dabit sermo tuo cor docile Septuaginta, Cor ad audiendum. Arias, cor audiens ad excipiendam doctrinam, & quae expediunt scire, & necessaria sunt. Unde ipse ait Proverb. 1. numer. 5. Audiens sapiens sapientior erit. Rabbi Levi: Cumulabitur sapientia, quia, ut recte ait noster Divus Cyrillus, Alexandrinus lib. 1. Apol. Moral. cap. 1. cuius titulus est: Semper discite, ubi inter multa de hac re, sic habet; Frater mi; Scriptum est a Salomone; Audiens sapiens sapientior erit, & quare hoc dixit, nisi quod sapientia non est numerus, ex quo infert: Unde semper oportet addiscere; & in extremis horis studium sapientiae desiderabilius indagare.

151. Exquirat Divus Augustinus epistol. 119. cap. 11. In ipsis sanctis Scripturis multo nescio plura, quam scio, & epistol. 28. ad Hieronymum ait: Quamquam scio te multo, quam ego sum aetate majorem, tamen ipse scire, & vel etiam iam senex consulo, sed ad discendum, quod opus est, nulla mihi aetas videri potest; quia est si senes magis decet docere, quam discere, tamen discere, quam quid doceam ignorare. Unde monet Seneca epistol. 77. & ait: Tandiu audiendum, & discendum est, quandiu nescias; & proverbio credimus, quandiu visas.

152. Ex hoc maxime necessarium est illis, qui praesunt, & sunt in alto culmine. Ait Apostolus 2. Timoth. 2. numer. 24. Opere Episcopum docilem esse, hoc est, ut quod finat, & patitur ab alio doceri, & instrui; atqui ipse Apostolus ait. 1. Timoth. 3. numer. 2. Oportet Episcopum doctorem esse, si doctor, quomodo docibilis, ut explicat Divus Anselmus, facilis ut doceatur, quod est discipuli, & non doctoris, si ipse fuerit bonus, & facilis, ut doceatur, erit bonus, & optimus Magister, ut doceat. Divus Cyprianus epistol. ad Stephanum Pontificem: Oportet, ait, Episcopum non tantum docere, & quam discere, quia ille melius docet, qui quotidie proficit, & crescit discendo meliora.

153. Ait Apostolus Paulus ad Galat. 1. numer. 18. Veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. Sacri Apostoli nihil faciebant super filium otiosum; ac ex curiositate, ad quid venit Paulus videre Petrum, & apud eum per quindecim dies immoratur, ut ab eo instrueretur inquit Erasmus, & Vatablus, quod intellige, non in doctrina Evangelica; quia ut ipse Apostolus ait: Evangelium ego ab homine non accepi, tamen cum Petrus esset magnum miraculum totius Orbis, & ipse Paulus Doctor Gentium venit videre Petrum, ut ab eo in moralibus instrueretur in modo vivendi, agendi, gubernandi, in omnibus operationibus, ac actionibus suis. D. Hieronymus, epistol. 103. ad Paulum ait: Hoc enim mysterio hebdomadis, & octo diebus futurum gentium praedicator instruendus erat. Hebdomada, & octo diebus, id est spatium septem, vel octo dierum.

QUAESTIO XVIII.

Quare Christus Dominus dicitur sicut ovis ad occisionem, & quasi agnus coram tondente?

154. Locus desumptus est ex Isaia 53. num. 7. sermo ad literam est de Christo D. in sua gloriosa passione, qui nec gemuit, nec conquestus est, nec restitit,

Summa, & admirabilis Christi Patientia.

nec oblectavit, sed summa, & admirabili patientia sustinuit illam carnicum crudelissimam torquentem, qua non lanam, aut vestem forcipibus, sed pellem, carnem, omnemque sanguinem, ac vitam rigidis flagellis, spinis, malleis, clavis, lanceaque detraxerunt, & ad hoc facit Joannes Baptista clamans, Ecce Agnus Dei immolandum pro totius mundi redemptione; Agnus frequenter praedictus ab Isaia, & Jeremia, ac ab aliis Prophetis; Agnus praefiguratus sacrificio Abelis, Isaac, & Agni Paschalis, & etiam jugis oblationis matutinae, & vespertinae, multis sacrificiis; Agnis in quolibet festo praescripto in lege, qui offerendi erant, ut observant communiter Patres D. Cyrillus, Ambrosius, Hieronymus, & ad hoc alludit Joannes Evangelista in sua Apocalypsi, ubi ferè per triginta vices nomen Agni Christo D. tribuit, & inde 6. Synodus in Trullo canon. 8. laudat consuetudinem depingendi Christum sub figura Agni, ut perpetuo sit in nostra memoria passio Christi. & hinc deducta est antiquissima consuetudo Ecclesiae Romanae in Octava Paschalis figura Agni impressa in Cera cum multis Reliquiis dari populo, de cuius origine, ac multis miraculis editis late dixi tom. 1. in Apocalypsi. cap. 5. quaest. 15. num. 131. 132. & deinceps.

155. Circa quae aliqua sunt notanda. Primo dicitur Christus ovis, cum ipse sit Pastor: Ego sum Pastor bonus. Pulchre D. Basil. Seleuc. orat. 26. ait: Pastor pro ovibus, tamquam ovium jugulum praebet. Praeclarum magni Pastoris insigne est, ut pro jugulandis ovibus ipse tamquam ovis jugulandus sit, in nullo discrimine, in nulla actione suos videt, quod ipse in se dissimulet, & in se non assumat. De se iudice ait Christus D. Matth. 26. n. 64. Videbitis filium hominis venientem in nubibus caeli. Et cur modo in extremo iudicio in nubibus se exhibet: Ait Paulus 1. Thes. 4. n. 16. Deinde nos, qui vivimus, qui residui sumus, rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera. Ipse pro sua maiestate venit in nubibus etiam in simili praeminentia, ac honore suos secum vult habere. Origen. homil. 30. in Matth. ait: Si Beati homines in nubibus rapiuntur in aera, quid mirum est in nubibus Filium Dei venire cum virgine, & gloria multae Perfecti, ac magni Pastoris est ovium suarum statum, ac conditionem non refugere, sed eos similes secum habere.

156. Secundo: Cur dicitur Ovis, & Agnus? D. Leo serm. 7. de Epiphania ait: Disposuit dies sub persecutione inchoavit, & sub persecutione finivit, nec puero tolerantia passionis; nec passuro desuit mansuetudo puerilis. Agnus est in tenera aetate, ovis jam in majori, ac veluti grandaeva; dicitur Agnus, & ovis Christus, quia patientia; qua in pueritia sustinuit multas persecutiones, ac contrarietates, eandem retinuit ultimo tempore vitae suae in passione: In laboribus a juventute mea.

157. Tertio: Sicut agnus coram tondente se obmutuit. Totus meus Iesus additus fuit sub crudeli flagello, sub pennis, clavi, & cruce quid habet hoc cum levi tonsoris manu; quid tonsura cum immani carnificia? Quis tonsuris manus cum sacrilegis carnificibus? Tonsura ad levamen, & ornatum fit, illa vero carnificia tota fiebat ad exitium, ac tormentum. D. Chrysof. serm. de negat. Petri habito tom. 6. ait: Ut enim in nostra hac vita, qui tondetur homo, & nullo dolore afficitur, & forma speciosus apparet: ita quando vulnus Christus accipiens quasi tonsuram sustinuit, nec dolorem ullum perpessus est, & resurrectionis pulchritudinem indicavit. Ille totus cruciatus, cum a Deo esset ordinatus ad Christi resurgentis gloriam, non dolore, & vulnera, sed tonsura ad levamen, & ornatum reputabatur, cum ex eis tanta

splendoris majestas proveniret; non enim reputatur malum, quod ingens parturit bonum.

158. Ait Job. 30. n. 12. Ad dexteram Orientis calamitates mea illico surrexerunt. Cur a dextris, non a sinistris: quia insufflarunt in eum magnum meritorum cumulum, & gloriae augmentum. Gillibertus Abbas Gillib. serm. 38. in Cantic. ait: Fure ventum illum dextrum vocavit, qui nihil illi quirit sinistrum inferre: qui etiam corona gloria viro iusto comportavit augmentum.

159. Quarto: Duo proponuntur ovis occiso, & agni tonsio, sed quid agni tonsio cum mactatione ovis; In ove perditur vita, in agno absque ullo corporeo vulnere externum ornamentum componitur, & tamen major patientia visitur in agno, quam in ove; ovis enim cum sit grandis valet resistere, & reluctare, quod minime praestat agnus ob sui teneritudinem. In occisione ovis adumbratur Christi mors, in tonsione vero quando oblata debita reverentia passus est Christus opprobria, ac injurias apud Herodem cum exercitu suo. Tertullian. lib. 6. de Carnis resurrect. ait: Tanquam ovis ad jugulationem adductus est, & tamquam Agnus ante tondentem, scilicet Herodem sine voce, sic non aperuit os suum. In agno major patientia demonstratur in tonsione, & de eo eniam dicitur non aperit os suum, quod non dicitur in occisione ovis; quia major patientia exoptatur in viro magno, ac illustri dum tondetur, ac laeditur in fama, ac honore, quam dum crudeli vulnere vita affertur.

160. Fortissimus Samson capitur a Philistinis ac ab eis obsecratur multis opprobriis, injuriis, ac ignominiosis afficitur, quorum ferè tria millia in quadam domo erant latantes, & exultantes de suo comprehenso inimico, quae tota domus nitebatur in duabus columnis, inter quas illusus Samson versabatur, qui accedens ad illas ait: Moriatur anima mea cum Philistinis, concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes. Judic. 16. n. 30. Voluit potius vir magnus forti animo mortem eligerè, quam vitam cum contumelia, ac ignominia ducere. D. Ambrosius epistol. 70. ait: Vivere, & mori, natura functio, ludibrio est opprobrium daciur, cupiens igitur tantam contumeliam morte in reliquum praevertere, poposcit a petro, ut admovent eum ad columnas, &c. Vide in omnibus libris verbo Injuria. Cur autem Christus dicitur agnus multas dedi rationes tom. 1. lib. 3. cap. 5. q. 2. per totum, & cap. 5. in Apoc. q. 15.

QUAESTIO XIX.

Quare cum Propheta restatur quod Christus D. de angustia iudicis sublatum sit, statim adiungit generationem ejus esse inenarrabilem?

161. Ait Isaia citato cap. 53. n. 8. De angustia, & iudicio sublatum est: generationem illius quis enarrabit. Quod vaticinium duas habet partes; Prima de angustia iudicis sublatum est, & dupliciter explicatur, primo D. Cyrillus, Alexand. Hieron. Procopius ad citatum locum Isaia, Tertullian. lib. contra Judaeos, D. Cyrillus, D. Chrysof. orat. 3. contra Judaeos, & hic Vatablus, Procop. Leo a Castro cum Origene, & Sanchez, Cornel. Ipse nempe Christus versus Filius Dei de angustia, ac iudicio Pilati, ac Pontificum sublatum est ad Crucem, cum esset tam sublimis divinus Vir, ut ejus generatio sit ab homine inenarrabilis.

162. Secunda est ejusdem D. Hieronymi, Ruperti, Carthusiani, Cardinal. Hugonis, ipse de iudicio Pilati, ac Pontificum, ac ignominia Crucis sublatum est, ut victor ascenderet ad dexteram Patris, ut debebatur ejus celsitudini, cuius generatio est inenarrabilis.

Utraque expositio est probabilis, prima communior, & probabilior, quia Propheta immediate adiungit; Generationem eius quis enarrabit, quia abscessus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussit eum, non propter aliquod ipsius delictum, sed propter scelus populi mei, ut ipse in se expiet, & absolvat, ubi cum ad literam sit sermo,

163. Exprobratio Iudaeorum. Generationem eius quis enarrabit, hoc dicit Propheta tamquam exprobrando Iudaeos, ac si dicat: O Iudaei in tantam amentiam, ac nequitiam incidistis odio, ac invidia frenetici, ut vir tam illustrissimus ac divinus, cuius generatio est inenarrabilis, a vobis sublatus sit ad Crucem, & mortem de terra viventium.

164. Generationem eius quis enarrabit? Nam si consideretur divina generatio a Patre, ei consubstantialis est, eisdem cum illo naturae, potentiae, gloriae, maiestatis ab aeterno. Si humana eius generatio consideretur praecellit omnes homines, ut Dominus totius universi, Princeps Angelorum verbum Dei humanitati hypostatice unitum non confusione naturae sed in unitate personae. De hac re latius egi tom. 1. Evang. lib. 1. cap. 2. quaest. 3.

165. Generatio eius dicitur inenarrabilis, id est valde occulta, & abscondita disputanti, ac curiosè inquirenti, non verò amanti, ac fervida charitate contemplanti; ad hoc advoco, id quod dicebat Euxenius in Panegyrico ad Constant. A primo igitur incipiunt originis tuae nomine, quod plerique adhuc forsasse nesciunt, sed qui te amant plurimum sciunt. Inde suum Imperatorem maximè commendabat, quod eius progenies occulta esset sapientibus, manifesta verò ipsam amantibus; sic de Filii Dei origine, ac processu plus sapient ipsam fervida charitate diligentes, quam curiosè disputantes. Ita dicebat Christus D. ad Patrem suum, Matth. 11. n. 25. Confiteor tibi Pater Domine Caeli, & terra, quia abscondisti haec a sapientibus, & revelasti ea parvulis; nempe diligentibus.

166. Ait David Psalm. 138. n. 17. Et nox illuminatio mea in deliciis meis: Cum se videt inter caliginosas huius mundi tenebras se dicit David illuminatum, ut verum solem agnoscat; & unde illi tanta lux, an à sua sapientia, cum ipse inter ceteros esset sapientissimus, ut dicitur 2. Reg. cap. 23. n. 8. Minime; sed in deliciis meis, in suis nempe amoribus, ac affectuosius contemplationibus cum Deo, ibi tantam lucem, ac splendorem invenit; Gillibertus Abbas serm. 5. in Cantico, ait: In deliciis, non in scientiis, ita & in noctem, si non potes scientiis, portenta illuminare delictis, quidquid hic videmus per speculum in enigmate, totum in nocte est, & in hac nocte potest Iesus mens magis dulci quodam affectu suavitè sentire, quam sciri ad purum. Nota, ac expende ultima verba. De hac re multa dixi tom. 3. in Evangelia cap. 20. quaest. 6. 7. & 8.

Act. 8. n. 36. Et dum irent per viam venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Nam 37. Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde licet: Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum.

Nam 38. Et iussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.

Num. 39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum.

N. 40. Philippus autè inventus est in Azoto

& pertransiens evangelizabat in Civitatibus cunctis donec veniret Caesarem.

Versiones

CVM EXPOSITIONE IX.

Verf. 36. Venerunt ad quandam aquam. Syriac. 167. Ad locum quandam in quo erant aqua. D. Hier. Adrich.

D. Hieronymus de locis Hebraicis, & Adrichomius testantur descriptionibus tribus Dan: Fons Aethiopiae est in medio itinere, quo itur ab Ierusalem in Gazam contra Bethsuram, vigesimo ab Urbe lapide ad radices montis ebulliens, & eadem, qua gignitur sorbetur hinc in quo Philippus Eunuchum baptizavit. 168. Græcus.

Quid prohibet me baptizari? Aliqui ex Græco legunt; Qui prohibet, melius tamen nostra vulgata in neutro quid, id est nullum est obstaculum, nullum impedimentum; notat D. Chrysof. modestiam, qua petit Baptismum, non ait: Baptizate me, sed tantum suum exponit desiderium, & præ humilitate non audet petere, & ut ait Glossa interlinealis: Fides plena est, aqua prope, baptizator praesens, D. Hilarius in Psalm. 67. ait: Sacramentum Baptismi adeo impatienter postulat, ut à Diacono ministerium Apostolici officii, salutis sua cupidus exigeret, arripuit aquam opportunitatem Eunuchus cuius erat in via variis per desertum, & praesentem, & aptam occasionem noluit omittere.

Verf. 37. Si credis ex toto corde licet. Arabicus: Si credis sicut oportet; Beda testatur, quod aliqui addunt: Si credis ex toto corde saluus eris, cum dicitur ex toto corde, id est purè, sincerè, & non fictè, qui dixit: Credo Iesum Christum Filium Dei. Ex his patet Eunuchum instructum fuisse à Philippo Christum esse Filium Dei, incarnatum, passum, mortuum, redivivum ad dexteram Patris, verumque Messiam promissum in lege, ac etiam de ceteris mysteriis ad salutem necessariis, & etiam Philippus exhortatus est Eunuchum ad poenitentiam ante Baptismum iuxta doctrinam D. Petri praedicantis ad populum, dicentis: Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum, Act. 2. n. 38. Nam in adulto ad recipiendum Baptismum cum fructu necessarius est dolor de iniquè antea factis, ut est definitum in Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. Carthag. can. 83. & latè Theologi cum D. Thoma. 3. p. q. 68. art. 4.

Verf. 38. Iussit stare currum. Syriacus: Praecipit stare. Dubitat Cardinalis Hugo, quisnam praecipit, Philippus, an Eunuchus? D. Chrysof. tenet quod Eunuchus, quod coherentius videtur in lectione Syriaca praecipit, quod indicat dominium praecipientis, quod Eunuchus habebat in curru. Descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus. Poterat fieri Baptismus in curru aspersione aquae, sicut in die Pentecostes praedicante Petro tria millia baptizati sunt, Act. 2. n. 41. & postea quinque millia hominum, Act. 4. n. 4. & ibi dixi, tamen Eunuchus voluit de curru descendere ad aquam, tum ob eximium magnumque affectum ad Baptismum, tum ob magnam erga Sacramentum reverentiam.

Imo quamvis Eunuchus esset magnus Princeps non veretur se corâ servis suis denudare, ut Baptismum susciperet: Carthuf. ait: Eunuchus magnâ fatigâ habebat, nec tamen coram illis, se nudare, ac lavare erubuit, dum coram Deo de propriis verecundabatur peccatis. Ubi cepit coram Deo deluis peccatis verecundare, ac divinam iram timere, cum tantum de suis peccatis concepit horrorem, ac timorem, de quo cumque alio deposuit horrorem, ac timorem.

Verf. 39. Spiritus Domini rapuit Philippum. Glossa Interlinealis intelligit Spiritum sanctum, alii, qui-

D. Hier. bus faveat D. Hieronymus, Angelum qui supra locutus est Philippo, rapuit Philippum; ut inde cognosceret Eunuchus Philippum esse virum magnum, ac peculiariter ei missum a Deo, de quo infra quaest. 21. Eunuchus autem ibat per viam suam gaudens. Arabicus: Perrexit viam suam laetus. De tanto dono gratiae in Baptismo sibi dato; gaudium autem est fructus divini Spiritus, ut ait Paulus ad Galat. 5. n. 22. de hoc Eunuchus, eoque martyrio dixi supra q. 16.

Verf. 40. Philippus autem inventus est in Azoto. Pagninus: Repertus est. Varabulus: Comparuit. Azotus Civitas est Palaestinae valde celebris de qua q. 21. in limine: Et pertransiens evangelizabat. Syrus: Et inde peragrabat. Arabicus: Et abeundo annuntiabat. Arias, Praeterea evangelizabat per cunctas Civitates, donec veniret Caesarem civitatem valde illustrem iuxta oram maris.

QUESTIO XX.

Quare non visis miraculis, nec portentis Eunuchus tam citò credidit, & tam firmè fide suscepit Baptismum?

174. Rediderunt Magi Christum verum Deum, viderunt novam stellam in Oriente, credidit Latro pendens in cruce videns multa portenta fieri in toto Orbe; at iste Eunuchus nihil eorum est intuirus, & tamen prompta fide credidit, unde hoc? Erat totus intentus legens sacram Scripturam, & quod multa miracula praestant, hoc una Sacra Scriptura lectio exhibet, & adimplet. D. Chrysof. homil. 19. in Acta ait: Dignum profecto mirari Eunuchum illum, non viderat Iesum Christum, non viderat signum. Ultra videbat quis status Ierosolymis, & credidit Philippo. Unde igitur talis factus? Solita erat anima illius attendere Scripturas, vacari lectionibus: Cum Latro viderit signa, & Magi viderint stellam; hic tale nihil viderat, & credidit: tanta res est, ac tam utilis Scripturarum lectio.

Cum volumus significare aliquid impossibile, dicimus Aethiopem dealbare, D. Hieronymus, in epistola Paulae ait: Aethiopi Eunuchus mutavit pellem suam, dum vetus relegit instrumentum, & fontem reperit Evangelij. Unde Aethiops iste potuit tam facile dealbari, dum lectioni Scripturae instat, invenit condignum salutis indumentum, ac pellem valde dealbatam.

175. Venit mulier Samaritana multis peccatis, ac luxurii deturpata, ac denigrata ad colloquium cum Christo Iesu, & inde rediit mundata, & dealbata divina gratia, & unde tantam puritatem, ac munditiam est assecuta, dum Christum agnovit ex doctrina legis, ac Prophetarum contenta in Scriptura, dixit enim: Scio enim, quia Messias venis, qui dicitur Christus, cum ergo veneris, ille nobis annuntiabit omnia, Joan. 4. n. 25. ad quae verba praclare D. Chrysof. tract. 2. de Samaritana habito tom. 6. ait, O meretricem de spiritualibus philosophantem! O meretricem scortationibus cooperta est, anima tamen sacram literarum pronuntiatione purgata est. Mulier multis scortationibus foedata erat, tamen notitia sacram literarum legis, & Prophetarum inservivit ei, tamquam purissima aqua, ut eam ab omni inquinamento ablueret, omnemque illius maculam abstergeret: Esti corpore scortationibus cooperta est, anima tamen sacram literarum pronuntiatione purgata est.

176. Unde optime ait D. Chrysof. homil. 2. de verbis Mariae: Scripturarum lectio calorum est refrigeratio. Ait

177. Unde optime ait D. Chrysof. homil. 2. de verbis Mariae: Scripturarum lectio calorum est refrigeratio. Ait

suis Apostolis Christus vobis datum est nosse mysterium regni Dei, Luc. 8. n. 10. seu ut scribit D. Math. 13. n. 11. Vobis datum est nosse mysteria regni Caelorum, & quodnam est hoc regnum Dei, seu regnum Caelorum? Explicat ibi Abulensis: Sacra nempe Scriptura. Ipsa nempe sacra Scriptura nobis aperit & patefacit ipsum Regnum Dei, ac januam Caelorum.

Hinc maximè extollit Cassianus collat. 14. c. 10. Magistros, & Doctores sacrae Scripturae, qui maximè inserviunt sua doctrina ad animam excolendam in omni virtute, dirigendam ad salutem, & expugnabili munimine custodiendam ab omni adversariorum machinatione. Petrus Damianus lib. 6. epist. 29. ait: Mens tua divinis se voluminibus occupet. His intentata pervigili semper instantia perseveret. His attentis insidiator, cum te viderit intentum velut hostem fugit armatum, & timet cominus aggredi.

In illa magna, ac mysteriosa fabrica Templi Salomon posuit Cherubim in medio Templi interioris: extendebat autem alas suas Cherubim, & tangebant alae una parietem, & alae Cherub secunda tangebant parietem alterum, 3. Reg. 6. n. 27. Medio positi Cherubini alis suis attingebant utrumque templi interioris parietem habentes sub alis Oraculum, & arcam; nempe ad ipsam custodiendam, ac defendendam, & ad hoc solum Cherubini eliguntur, cur non potius ex aliis Angelorum choris, ex Potestatibus, ex Principibus, ex Dominationibus: D. Brunus de laudibus Ecclesiae cap. 3. ait: Bene autem sub alis Cherubini Arca testamenti stare dicitur; quia nihil est quod si Ecclesiam Dei defendat, & muniat, sicut sermo divinus, & scientia Scripturarum. In Cherubinis significata scientia Scripturarum magis tueret, ac protegit Ecclesiam, ac omnem sanctitatem, quam omnes Principatus, Potestates, ac Dominationes.

QUESTIO XXI.

Explicatur quoniam Civitates sint Azotus & Caesarea, de quibus agitur in praesenti.

180. Angelus transtulit Philippum in Azotum, quae est una ex quinque principalibus Civitatibus Palaestinae, & valde celebris, in ea captiva exiit Arca Domini, 1. Reg. 5. n. 1. distat à Gaza quadraginta circiter milliaria, & ex hac Civitate per alias Civitates pertransiens Philippus evangelizabat Christum Iesum verum Deum.

181. Donec veniret in Caesarem. Ortelius huius nominis in thesauro geographiae numerat octo, vel novem Civitates, haec de qua hic agitur iuxta mare Mediterraneum sita inter Doram, & Ioppen prius Turris Stratonis dicta; Ab Herode tamen Ascalonita, dicta est Caesarea ob honorem Augusti Caesaris cui eam dicavit, & diversa est à Caesarea Philippi, quam Philippus Herodis filius edificavit ad radices Libani; in honorem Neronis Caesaris, unde dicta fuit Caesarea & etiam Neronias.

182. In hac nostra Caesarea iste Philippus Diaconus habuit suam domum, & simul in ea quatuor filias Prophetissas, Act. 21. Ibi Herodes Agrippa quia acclamabatur vox Dei ab Angelo percussus interficitur, Act. 12. In ea Cornelius Centurio baptizatur à D. Petro; qui primus illius Apostolus est dictus, Act. 10. & hic Agabus prophetizavit Paulo illius vincula, ubi Apostolus carcere detentus causam suam pertractavit coram Rege Agrippa, & Felice Praefide, & vinculis incarceratus à Festo Caesarem appellavit; Act. 23.